

nem deveniendum, quæritur, Utrum validis Catharticis, in quorum censu repono, Scammonium, Colocynthidem, Elaterium, Elleborum utrumq; , Turpethum, an levioribus magis uti conveniat, qualia sunt manna, Cassia, Tamarindi? Hæc enim frustra adhiberi putat Cardanus, quod humores peccantes non educant: Illa verò ex rationibus Averrh. 7. collect. cap. 4. amaritie & deleteria qualitate Embryonem lædunt, aut etiam interficiunt, 8. de simpl. med. fac. & de cucum. sylv. Tum etiam cum alvo uterum simul irritant & menstrua provocant, & eo nomine ipsa etiam aloë & Rhabarbarum damnantur, quod illa aperiat venas, hoc moveat urinas, adeò ut urinam flavo suo colore tingat statim atque assumptum fuit. Amitioribus secundum præscriptum Mesuæ, semper est initium faciendum, si modò materiam turgentem educere possint, aut saltem ad illa progrediendum, quæ habentur ordinis medij, ut sunt Myrobalani, agaricus, sena, Iris, aut fortiorum extracta, quæ cum Sale vehementiam purgandi reliquerunt. Extremis non utendum, nisi extremo ingruente periculo.

V.

Est tamen, ut purgantia quibusdam mensibus tutius, quàm reliquis propinentur & Hippocrates quidem ait gravidas purgandas, si materia turgeat *περάμνη αἰεὶ ἐπιὰ μηνῶν* & constituit inter *τὰ νήπια καὶ πρεσβύτερα*, inter medicos menses, à quarto ad septimum, 4. Aph. 1. lib. 5. Aphor. 29. Galenus ex ratione Aphorismi comprehendit etiam tertium, 1. de morb. vulgar. comm. 3. hist. ægror. 13. quia fieri potest, ut fœtus firmas radices jam egerit hoc mense, & solidiori sit textura corporis, quàm imbecillior quispiam mense sequenti: Varius tamen cum id accidat, quartum solum inclusivè posuit Hippocrates. Nam post sextum & antè quartum semper sunt periculosæ purgationes, periculosiores verò post sextum, quàm antè quartum, ut hîc addit Hippocr. quia gravatus pondere uterus medicamento irritatus, facilius exurgit ad expellendam sarcinam.

A. 3.

quæ